



DECRETA
SYNODI CROTONEN

Celebratæ in Cathedrali Ecclesia ejusdem Civitatis sub die 20 mensis Decembris anni 1795.


PRÆSIDENTE

ILL. ET REV. DOMINO

F. LUDOVICO LUDOVICI

ORDINIS S. P. FRANCISCI MIN. OBSERV.

In Sacra Theologia Lectore Jubilato, Regio Consiliario, & ejusdem Ecclesiæ Episcopo.







NEAPOLI MDCCXCVI.

Superiorum Permissu.




INDICTIO SYNODI CROTONEN

FR. LUDOVICUS LUDOVICI

ORDINIS S. P. FRANCISCI MIN. OBSERV.
IN S. THEOLOGIA LECTOR
JUBILATUS,

Episcopus Crotonensis, & Regius Consiliarius &c.



Oſtram Diœcesanam Synodum, quam in Epiphania Domini Noſtri Jesu Chriſti hujus currentis anni indiximus habendam secunda, & tertia Pentecoſtes feria, & valetudine impediti in aliud opportunius tempus prorogavimus, nunc celebrare volentes Dominica IV. Adventus, quæ erit dies vicesima infrascripti mensis, & anni; ut, quæ cultui Divino, Ecclesiaſticæ Disciplinæ, Chriſtianæque pietati consona sunt, validius consolidentur; idcirco Universis, & Singulis, qui in Civitate, & Diœcesi noſtra Beneficia, etiam simplicia, aut cujuscumque generis, vel tituli, obtinent, & Dignitatibus, Canonicis, Archipresbyteris, Parochis, Presbyteris, in majoribus, vel minoribus Ordinibus conſtitutis, aliisque quibuscumque, qui de jure, vel consuetudine Synodo hujus Diœcesis interesse debent, præcipimus, & mandamus, ut supradiƈta Dominica IV.

Adventus in nostram Cathedralem Ecclesiam de mane, hora decimaquinta vestibus talaribus, tonsura, biretis, superpelliceis, & propriis insignibus induti personaliter accedant; quibus minime licitum sit alios sui vice mittere, nisi legitima impediti caussa, quam Nobis antea probaverint. Quod si quis voluntarie deerit, pœnis a sacris Canonibus statutis mulctatus erit. Volumus autem, ut hæc Synodi indictio valvis Nostræ Cathedralis Ecclesiæ affixa omnes afficiat, ac si fuisset singulis intimata. Datum ex nostris Episcopalibus Ædibus hac die septima mensis Decembris currentis anni millesimi septingentesimi nonagesimi quinti — Frater Ludovicus Episcopus Crotonensis -- Adest signum — Joseph Antonius Asturi Pro-Cancellarius Episcopalis.

Supradicta Indictio, ad valvas Cathedralis Ecclesiæ, suprascripta die affixa fuit, & defixa a me ipso die decimanona currentis mensis, & anni: & in fidem &c. -- Joseph Antonius Asturi Pro-Cancellarius Episcopalis stipulavi.

OF-

OFFICIALES SYNODI.

Promotor Synodi.

Ad. R. U. J. D. D. Michael Labonia noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Archidiaconus.

Consultores Synodi.

Ad. R. U. J. D. D. Proſperus Maria Gallucci noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Theſaurarius.

Ad. R. D. Vincentius de Vennera noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Canonicus.

Secretarius Synodi.

Ad. R. D. Benedictus Siniscalco noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Canonicus.

Cancellarius Synodi.

Ad. R. D. Paulus Varano noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Canonicus.

Cæremoniarii Synodi.

Ad. R. D. Joseph Maria Aſturelli noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Canonicus.

Ad. R. D. Felix Maccarrone noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Canonicus.

CA-

CAPUT I.

De Fide Catholica, ejusque Professione facienda.

UT synodalis hic Conventus principium, & progressum suum per Dei gratiam habeat, Patrum exempla secuti, scutum Fidei sumimus, & ab ipsa Fide auspicamur; ipsa enim est humanæ salutis initium, omnisque justificationis fundamentum, & radix, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire. Quumque non solum corde oporteat credere ad justitiam, sed etiam ore confiteri ad salutem, ut ait Paulus (Rom. 10.) ideo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ inhærendo vestigiis, Sacrorumque Conciliorum, maxime Nicœni, & Tridentini exemplis attendendo, juxta formulam a Pio IV. fel. rec. Fidei professionem ab omnibus hic in Synodo præsentibus emitti statuimus, & mandamus.

Ad eamdem autem Fidei professionem juxta præfatam formulam teneantur in posterum ex Decreto Sac. Conc. Trid. omnes provisi de Dignitatibus, & Canonicatibus in hac nostra Cathedrali Ecclesia infra bimestre, a die captæ possessionis, coram Nobis, vel nostro Vicario Generali; infra idem tempus provisi de Parochiis, aliisque Ecclesiasticis Beneficiis; alioquin omnes præfati fructus non faciant suos, nec eis possessio suffragetur. Profiteantur tandem Fidem omnes Concionatores tam Sæculares Presbyteri, quam Regulares; Ludima-

magistri, artium liberalium Professores, vel S. Theologiæ, si eas docere intendant; omnesque illam emittentes, in libro ad hunc finem compacto, notentur.

C A P U T II.

De Doctrina Christiana.

RES sane magni pensi est pueros, & adolescentes doctrinam Christianam edocere: unde alacri studio teneras has plantas in Ecclesiæ viridario consitas excolere oportet, & irrigare, ut Deus in adolescentiæ ætate det incrementa. Idcirco Parochi omnes, aliique Curati nostræ Civitatis, & Diœcesis adimpleant omnino per se, nisi forte legitimo detineantur impedimento, Tridentinum præceptum singulis Dominicis diebus, & Festis pueris, puellisque prima Fidei rudimenta explanandi. Id autem post prandium faciant, coadjutores adhibendo Parochiæ suæ adscriptos Clericos, tam in majoribus, quam in minoribus Ordinibus constitutos; immo tempore Quadragesimæ sæpissime idipsum agant, ut tempore Paschalis præcepti dispositi, habilesque ad Sacramenta percipienda pueri isti inveniantur. In ultima cujusque Mensis die puellorum, & puellarum Sacramentales confessiones audire, & illos, illasve obicem non habentes, Sacramentum Eucharistiæ sumere curent Parochi ipsi: quibus in diebus Clerici sive in majoribus, sive

in

in minoribus Ordinibus constituti per turnum, ut Parochorum munere imbuantur, breves conciones duas, alteram nempe præparatoriam ad communionem, alteram pro gratiarum actione illis dicant. Mense autem Novembris, a secunda ad tertiam Dominicam usque, & a secunda ad tertiam Dominicam Quadragesimæ, quotidie post prandium Instructiones circa Christianam Doctrinam ad formam Cathechismi Romani, Sanctorum Patrum, & Theologorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sermone, audientium ætati, & captui accommodato, Parochi iidem per se instituant, atque quantum adolescentes profecerint, Nos generali examine per Nosmet, aut per Nostros Delegatos, bis quolibet anno notitiam capiemus. Moneant, obsecrent, increpent Patresfamilias, & eos, qui aliorum curam gerunt, ut memores proprii debiti filios sibi subditos ea ignorare non patiantur, quæ ad salutem sunt necessaria, & statutis temporibus ad supradictas Instructiones illos mittant. Et ut sciamus, quinam sint assidui, quinam segnes ad Doctrinam addiscendam, album, seu catalogum puerorum, & puellarum suæ Parœciæ quilibet Curatus efformet, quo lecto, per Clericorum aliquem in fine Christianæ Doctrinæ deficientes illos adnotet. De eadem Doctrina diligens examen subeant Sponsi, & Sponsæ a proprio Parocho, antequam Matrimonium per verba de præsenti ante faciem Ecclesiæ contrahant, & illud non modo de necessariis necessitate medii ad salutem, sed etiam de necessariis necessitate præcepti habea-

bea-

beatur; quæ omnia, nisi sufficienti intelligentia sciant, vel nisi prius bene addiscerint, fides a Parocho ipso, sub pœna falsi, numquam exaretur: quomodo enim ignorantes illa, & Matrimonii munera, & prolis educationem adimplere possunt? Si autem Parochi, aliique Curati huic suo muneri satis non facere ex negligentia comperiantur, eos Canonicis pœnis omnino affici sciant. Et Clerici si in Parœciis sibi adsignatis Parochos in hoc munere non adjuverint, ad ulteriores Ordines haud promovebuntur; monitique sint, hoc unum ex requisitis fore, cui nullatenus dispensabimus.

CAPUT III.

De Verbi Dei prædicatione.

PRædicatio verbi Dei, quæ grano sinapis comparatur, præcipua sane est sacerdotalis Ministerii pars; hinc est, quod Parochis, aliisque animarum Rectoribus hujus Nostræ Civitatis, & Diœcesis potissimum præcipimus, ut gregi suo, diebus saltem Dominicis, præcipuisque anni solemnitatibus inter Missarum Solemnia, præmissis actibus Fidei, Spei, & Charitatis, Evangelium, ad illa vitia evellenda, quæ oves quam maxime perdunt, & ad illas virtutes radicandas, quæ vel minime exercentur, præsertim accomodatum, omni perspicuitate explanent, eumque Divini verbi pabulo per seipsos, nisi fuerint legitime impediti, reficiant. In hoc mu-

munere tam gravi, qui ex eis desides fuerint, juxta Tridentini Sanctiones, se noverint per Nos fore plectendos. Et quoniam sæpissime contigit, ante Parochialem Missam, aliam vel in eadem Ecclesia, vel in aliis publicis Cappellis, celebrari, cui Parochiani adsistentes carent Evangelicæ doctrinæ, vitiorum corripiendorum, & virtutum exercendarum notitiis, contra illud Sac. Conc. Trid. in cap. IV. Sess. XXIV. rescriptum: idcirco in Domino exhortamur omnes Nostros Presbyteros, quacumque in Ecclesia, una Nostra Cathedrali excepta, incruentum Sacrificium non offerre in supradictis Cappellis, & Ecclesiis non Parochialibus circiter horam, in qua Parochi Missam celebrare solent.

Concionatoris autem munus nemo, sive Sæcularis, sive Regularis sit Sacerdos, præsumat exercere absque Nostra, vel Nostri Vicarii Generalis licentia, sub pœnis, atque censuris in Sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus statutis. Meminerint Concionatores, in suo munere exercendo Populis se præbere exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, lucrum animarum, & Dei gloriam quærere, non vero doctrinæ, aut inanis facundiæ ostentationem affectare; unico verbo, Jesum Christum, & hunc Crucifixum, ut ait Apostolus (Cor. I.) prædicare. Mandamus tandem, Conciones omnes in Ecclesiis diurnis semper horis, numquam nocturnis, haberi posse.

CA-

CAPUT IV.

De Blasphemis, & Concubinariis.

DUo præsertim maximum scandalum parientia vitia in hac Nostra Civitate, & Diœcesi grassari, non sine summo animi nostri dolore comperimus, blasphemiam nempe, & Concubinatum. Et Blasphemi sane tam grave, horrendumque peccatum se considerent patrare, ut ex Leg. Levit. hujusmodi crimen extremo supplicio Dominus jusserit coerceri. Quo tantum peccatum a nostro eliminetur Ovili, mandamus, ut omnes scientes quemquam in blasphemias, præsertim hæreticales, prorupisse, teneatur eum, juxta Sacros Canones, Nobis, aut nostro Vicario Generali denuntiare, ad finem huic tam gravi malo remedium afferendi. Concubinarii vero, quorum effrænam licentiam detestamur, sciant, nos totis conatibus conari, ne in tam nefando cœno volutentur; ac proinde Parochi, ubi hoc publicum scandalum in vicinia constet adesse, ad Canonicas hujusmodi peccatorum correptiones serio procedant; quod si tertia vice admonitos a nefaria consuetudine minime resipiscere compererint, Nobis denuntiare teneantur, ut opportunum Canonici, & Regni nostri juris remedium præstetur. Blasphemi, nisi prius se emendaverint: Concubinarii, nisi pravam ablegent consuetudinem, Sacramentali absolutione sint indigni.

CAPUT V.

De Testibus Synodalibus.

QUum vetusta Sacrorum Canonum lex Viros aliquos moribus, & discretione probatos in Synodis præscribat eligi, qui animadvertant diligenter, an aliquid sit in Civitate, & Diœcesi corrigendum, atque si tale quid cognoverint, Nobis, vel Nostro Vicario Generali rogati, fideliter significare teneantur; ea de caussa, ut muneri huic fiat satis, in Testes Synodales, qui etiam super observantia omnium harum Legum Synodalium, præsertim super Clericorum vita, & honestate, atque Parochorum muneribus obeuntibus invigilare debeant, Adm. Rev. Canonicos D. Raphaelem Asturelli, & D. Vincentium Siniscalco, ac Rev. Parochos D. Vincentium Montefusco, & D. Thomam Bruno eligimus, & deputamus.

CAPUT VI.

De Judicibus, & Examinatoribus Synodalibus.

QUum Tridentinum Concilium, Constitutioni Bonifacii VIII inhærens, decreverit, ut in celebratione Diœcesanæ Synodi sex ad minus ab Episcopo Examinatores nominentur, quorum tres ab eodem Episcopo, vel eo impedito, ab ejus Generali Vicario diligendi, simul cum ipso ad Eccle-

sias

sias Parochiales Promovendorum examen instituant; quumque amplius mandaverit, eligi Synodales Judices, quibus Ecclesiasticæ, & Spirituales caussæ ad forum Ecclesiasticum spectantes in partibus delegandæ committi possint, quique Conservatores Privilegiorum Regularium, ad præscriptum Constitutionis Gregorii XV. eligi quoque valeant; ideo Nos ejusdem Sacrosancti Concilii statutis inhærendo, infrascriptos Examinatores, ac Judices Synodales Vobis proponimus, qui, ad præfata peragenda, possint ab hac S. Synodo designari. Igitur in Examinatores Synodales, quorum officium, quoad altera Synodus celebretur, duret, Vobis proponimus Sequentes, quorum aliqui electi jam fuerunt in ultima Diœcesana Synodo a bon. mem. Prædecessore Nostro Josepho Capocchiani habita.

Examinatores Synodales.

Adm. R. U. J. D. D. Michael Labonia Nostræ Cathedralis Ecclesiæ Archidiaconus, & in hoc Nostro Ven. Clericorum Seminario Publicus S. Theologiæ Professor. A. C.

Ad. R. U. J. D. D. Prosperus Maria Gallucci Nostræ Cathedr. Ecclesiæ Thesaurarius. A. C.

Ad. R. D. Franciscus Ricci Nostræ Cathedralis Ecclesiæ Primicerius.

Ad. R. D. Franciscus Lapiccola Nostræ Cathedralis Ecclesiæ Canonicus. A. C.

Ad. R. U. J. D. D. Raphael Asturelli Nostræ Cathedralis Ecclesiæ Canonicus.

Ad.

Ad. R. D. Vincentius de Vennera Noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, & Noſtri Ven. Clericorum Seminarii Rector.

Ad. R. D. Vincentius Siniscalco Noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Canonicus.

Ad. R. D. Joseph de Luna noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Canonicus.

Ad. R. D. Gabriel Messina Regius Parochus S. Mariæ de Protospatariis. A. C.

Ad. R. D. Vincentius Montefusco Parochus SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli.

Ad. R. D. Joannes Fullone Archipresbyter Papanicephori in Noſtra Diœcesi.

R. U. J. D. D. Dionysius Orofino Diœcesis Cassanen in Noſtro Ven. Clericorum Seminario Publicus Lector Philosophicus, & Juris Canonici.

Ad. R. U. J. D. D. Petrus Bellizzi Diœcesis Cassanen in S. Theologia Magiſter.

R. D. Paschalis Scarfi Diœcesis Hyeracen in hoc Noſtro Seminario humanarum artium, Rethoricæque Lector Publicus.

Ad. R. P. Dominicus Piazza S. Theologiæ Magiſter Ordinis Prædicatorum.

Ad. R. P. Antonius Maria Lancellotti S. Theol. Magiſter Ordinis S. Auguſtini.

Ad. R. P. Athanasius Gemelli S. Theol. Mag. Ordinis Min. Conventualium S. Francisci.

Ad. R. P. Crysanthus a Policaſtro Ord. Min. Observ. S. Francisci, Lector Jubilatus.

R. P. Carolus de Brientia Lector Theologus Ordinis Min. Observ. S. Francisci. *Ju-*

Judices Synodales.

Ad. R. U. J. D. D. Michael Labonia Nostræ Cathedralis Ecclesiæ Archidiaconus.

Ad. R. U. J. D. D. Prosperus Maria Gallucci Nostræ Cathedr. Ecclesiæ Thesaurarius.

Ad. R. U. J. D. D. Raphael Asturelli Nostræ Cathedralis Ecclesiæ Canonicus.

R. U. J. D. D. Dionysius Orofino.

Placentne Vobis? Responderunt: Placent. -- Benedictus Canonicus Siniscalco Synodi Secretarius.

Ex præfatis Examinatoribus Synodalibus omnes juramentum præstiterunt de munere suo fideliter adimplendo in manibus Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Episcopi, præter Ad. R. D. Franciscum Ricci, Ad. R. D. Petrum Bellizzi, Ad. R. P. Dominicum Piazza, Ad. R. P. Antonium Mariam Lancellotti, Ad. R. P. Athanasium Gemelli, & Ad. R. P. Crysanthum a Policastro, quia erant absentes.

Benedictus Canonicus Siniscalco Synodi Secretarius.

C A P U T VII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

SEcunda post naufragium Tabula, ait Trid. est Pœnitentiæ Sacramentum. Diligentissime ergo tam Pœnitentium, quam Confessariorum debet esse

cura,

cura, ut per Ipsum ad salutis portum possit perveniri. Accedere ad Ministri pedes non audeant Pœnitentes, nisi præmissis delictorum suorum diligenti examine, & Contritionis, vel Attritionis actu cum proposito non peccandi de cætero. Omnia peccata, præsertim ad suum statum pertinentia, ac circumstantias speciem mutantes, vel aggravantes cum omni veritate accusent. Et monita salutaria, atque Satisfactionem impositam humiliter accipientes, cum omni diligentia quamprimum exequantur.

Confessarii autem Christum Crucifixum ante oculos, Divina, & Ecclesiastica jura præ manibus habentes, sine ulla personarum acceptatione, Pœnitentes omnes vera charitate recipiant: sine tædio audiant: cum patientia adjuvent: & plenam delictorum omnium, atque circumstantiarum notitias recolendo, opportunis monitis, consiliis, & pœnitentiis absolvant; vel si absolutione sint incapaces, exhortationibus paternis, salutaribusque præstitis remediis, eos dirigant, & dimittant.

Mulierum dein confessiones audiant Confessarii semper in Confessionali per cratem talari veste induti, sub pœna suspensionis. Inutiles earum narrationes recidant: mollia verba fugiant: munera quæque, quæ præjudicialem conniventiam parere solent, omnino refutent: & earumdem domos sub quovis prætextu evitent frequentare, ne, ut ait Divus Thomas, amor Spiritualis degeneret in carnalem.

Et

Et quoniam oretenus tantum hucusque confirmati fuerunt Confessarii, quos institutos reperimus; hinc, ut deinceps tamquam a Nobis designati agnoscantur, volumus, ut Confessarius quisque infra mensem a publicatione hujus Synodi Nostram impetret Pagellam, qua Confessarius denotetur, & mense elapso, ac Pagella non impetrata, Ipsos ab audiendis Confessionibus omnino inhibemus. Excipiuntur tamen Parochi, & Examinatores Synodales.

CAPUT VIII.

De Casuum Reservatione.

AD continendam Christiani Populi disciplinam Sanctis Patribus Nostris magnopere pertinere visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis Sacerdotibus absolverentur, ut ait Trid. Sess. XIV. de Sacram. Pœnit. cap. VII. Nos igitur criminum enormitati salubrius occurrentes, ex ea, qua reliquis inferioribus Presbyteris auctoritate præstamus, infrascriptos Casus cum adnexis respectivis Censuris ita nostro judicio reservamus, ut nemini e Sæcularibus, aut Regularibus Confessariis, tam approbatis, quam approbandis, etiam Parochis, & Curatis, ab iis quemquiam absolvere liceat, absque nostra, vel nostri Generalis Vicarii licentia, excepto tantum mortis articulo, juxta sacrorum Canonum disciplinam.

Casus reservati, quibus adnexa non est excommunicatio.

1. Blasphemia ex consuetudine in Deum, vel B. Mariam Virginem publice, sive coram pluribus supra quatuor.

2. Incestus inter Conjunctos in primo, aut secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu, sive inter Conjunctos cognatione Spirituali, & quælibet illicita copula inter eosdem.

3. Coeuntes cum brutis, vel exercentes peccatum Sodomiæ tam proprie, quam improprie; tam active, quam passive.

4. Defloratio Virginis per vim, aut deceptionem, sive per promissionem veram, aut fictam etiam futuri Matrimonii.

5. Sponsi, & Sponsæ, qui post Sponsalia etiam clandestine inita, & ante Matrimonium in faciem Ecclesiæ contrahendum, copulam, aut alium turpem actum inter se habent; nec non Parentes, Consanguinei, & Affines omnes, qui domus curam habent, eamdem copulam, aut actum turpem, immo Sponsorum cohabitationem, vel pernoctationem permittentes.

6. Viri, & Mulieres turpe lenocinium patrantes.

7. Omnes Usurarii publici, vel usuras ex professo exercentes.

8. Verberantes Patrem, & Matrem, aut alium ex Majoribus adscendentibus, vel Collateralibus.

Ca-

Casus reservati, quibus adnexa est excommunicatio.

1. QUi veneficia, necromantias, sortilegia, divinationes, magicas artes, & quodcumque aliud superſtitiosum patraverint, sive cum expressa Dæmonis invocatione, sive cum abusu Sacramentorum, aut Sacramentalium, aliarumque rerum Sacrarum.

2. Procurantes abortum fœtus animati, etiam effectu non secuto; mandantes, consulentes, aut quomodolibet cooperantes, sive opere, sive verbis.

3. Conſtituentes Promovendorum ad primam Tonsuram, aut ad quoscumque Ordines, Patrimonia ficta, falsa, fiduciaria, aut quovismodo fraudulenta, & his quomodolibet scienter cooperantes.

4. Committentes homicidium voluntarium præmeditatum, seu deliberatum; mandantes, consulentes, vel quomodolibet cooperantes.

5. Concubinarii publici permanentes in Concubinatu, etiamsi in eadem domo Concubinam non retineant, & cum ea non cohabitent.

6. Teſtimonium falsum, aut perjurium in judicio, etiamsi sit officiosum dicentes; nec non Scripturas tam publicas, quam privatas in damnum Tertii falsificantes.

7. Contrahentes clandeſtine Matrimonium, ideſt sine debitis denuntiationibus, & sine licentia Noſtræ Episcopalis Curiæ, Teſtes dolo eidem adsiſtentes, & Consulentes.

 8. Con-

8. Conficientes litteras cæcas, & infamatorias in grave præjudicium Tertii, & aperientes, retardantes, vel retinentes litteras cujuslibet.

Declaramus autem, quod in omnibus luxuriæ casibus, ut supra, sine excommunicatione reservatis, masculi tantum comprehendantur, & insuper, quod nemo sive Masculus, sive Fœmina ante quartum decimum ætatis suæ annum completum censuris hisce, & reservatis casibus ligetur.

Declaramus insuper, exceptis casibus, & censuris a Nobis in præsenti Synodo reservatis, quorum nullam, præter mortis articulum, concedimus facultatem, Confessarios omnes sive Regulares, sive Sæculares a Nobis, vel a Vicario Nostro Generali approbatos, sive approbandos, audita integra Confessione, absolvere posse ab omnibus aliis casibus, & censuris, quæ per Synodales Constitutiones nostrorum Prædecessorum Nobis, sive Episcopo Crotonensi, reservantur; immo volumus, præfatas censuras, & reservationes Nostrorum Prædecessorum deinceps non incurri, tamquam in præteritis Synodalibus statutis non fuerint appositæ. Tandem mandamus, omnium nostrorum reservatorum Casuum Elenchum, uti hic jacet, in quovis Confessionali hujus Civitatis, & Dioecesis, ut semper ante oculos sint Pœnitentiæ Ministris, affigi.

CA-

CAPUT IX.

De Vita, & honestate Clericorum.

QUales eos esse oporteat, qui divino cultui, sacrisque ministeriis sunt mancipati, Cœlestis, Magister Christus Dominus docuit illis verbis: *Vos estis sal Terræ, vos estis lux mundi*. Itaque nihil illos agere, nihil gerere, nihil illos præ se ferre oportet, quod non castum, integrumque sit, ut modestiæ, morum sanctitatis, ac virtutum denique omnium cæteris exemplum, quasi lumen, ipsi præbeant. Hinc quum fere ex exteriori habitu, incessuque cujusque mores dijudicari soleant, in primis mandamus, ut Sacerdotes, ac Clerici, vel ad rem Divinam faciendam, vel ad operam in Choro navandam, vel ad cæteras Sacras functiones peragendas, talarem vestem nigri coloris semper induant, etiam ad rationem Regii Diplomatis, & sub pœna suspensionis in alio nostro Edicto emanata. Aliis vero temporibus breves, ac simplices nigri coloris illis permittimus; immo dum iter faciunt extra Patriam, vestes breves coloris violacei, muscati, vel ferrei eos deferre toleramus. Vestibus autem istis, sive brevibus, sive talaribus non insit nec exquisitæ elegantiæ cultus, nec nimis abjecta negligentia, & procul ab eis sit affectata sordiditas, & ornamenti novitas. Quumque dedecus prope sit, Ecclesiasticos se Laicis conformari, nemo per Civitatem ocreis calceatus, vel pileis more Laicorum

rum formatis, numquam incedat; nemo comam nutriat, capillos calamistratos, discriminatos, inunctos deferendo; neque adscititiis crinibus, nisi cogente necessitate, & cum debita licentia, uti liceat, sed modeste aptatos capillos cum corona clericali suo ordini congruente, & conspicua, omnes gerant, sub pœnis a Sacris Canonibus statutis.

In Ecclesiis, & in Cathedrali præsertim, magnam servent gravitatem cum humilitate conjunctam, nec, nisi necessitate cogente, huc illucque vagentur. Omnes per Altare, ubi SS. Eucharistiæ Sacramentum asservatur, transeuntes, eidem flexo genu, & denudato capite reverentiam præstent. Non vereantur, Populo conspiciente, ad pedes Ministrorum Sacramenti Pœnitentiæ sua sæpe confiteri peccata, ut Laici eorum bona opera videntes, & imitantes, glorificent Deum, qui in Cœlis est.

At quoniam juxta Conc. Trid. verba in Cap. IV. de Observandis, & evitandis in celeb. Missæ Sess. XXII. nullum aliud opus adeo sanctum, ac divinum tractari potest, quam ipsum tremendum Mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari quotidie immolatur: probent idcirco, & diligentissime probent se ipsos Presbyteri omnes, priusquam ad Eucharisticum panem edendum, & de Calice ad bibendum accedant, ne judicium manducent, & bibant, non dijudicantes Corpus Domini: in ipsa Missarum celebratione, ut omnia sint ad omnipotentis Dei gloriam, & ad fidelis populi ædificationem, nec tar-

tardius, nec brevius debito tempore se habeant, neque ritus aliquos, aut alias cæremonias, & preces adimpleant, præter eas, quæ ab Ecclesia approbatæ sint, ac frequenti, & laudabili usu receptæ; atque sic Rubricas omnes distincte, attente, & devote adimplentes, & ante Missam orationes præparatorias, eamque post gratiarum actiones emittentes, memores semper sint, maledictum in Sacris litteris vocari eum, qui Dei opus negligenter facit. Denique in Sacristia inutiles confabulationes evitantes, tantumque submissa voce necessaria verba facientes, alios orantes ne devient; nec missas omnes uno tempore, sive unica hora, absolventes, eae inter se ita prudenti calculo distribuantur, ut ad alia sacra peragenda, & ad Populi commoditatem sit locus.

Clerici insuper ad Presbyteratum nondum evecti Festivis diebus, de mane præsertim, talarem habitum non deponant. In Missis conventualibus, & Visitatione quotidiana ad SS. Altaris Sacramentum semper cum cotta ministrent: & ministrent aliis Missis feriatis diebus in Cathedrali Ecclesia assignatis juxta Tabellam, necnon in propria Parochia diebus festivis. Saltem prima, & tertia Dominica cujusque mensis, ac quoties Pontificalia exercemus, interiori cordis munditia, atque puritate, & exteriori devotionis, atque pietatis specie ornati Eucharistiam sumant; quibus requisitis, & aliis Canonicis deficientibus, ad Majores Ordines ipsi numquam promoveri putent.

At

At ne quis ignoret, qua scientia præditum esse oporteat, ut ad Minores, sive ad Majores ordines ascendere queat, præter intelligentiam perfectam latini idiomatis in generali examine ex Tridentino Concilio, vel Breviario Romano, vel Sacris paginis probandam, etiam examen subeant.

Pro Prima Tonsura.

De Rebus ad Tonsuram ipsam pertinentibus.

Pro Ordinibus Minoribus.

De Rebus ad præfatos ordines pertinentibus.

Pro Subdiaconatu.

De Ordinibus Majoribus in genere, & de ipso Subdiaconatu.
De Actibus humanis.
De Conscientia.
De Legibus.
De Peccatis.
De Censuris.
De Horis Canonicis.

Pro Diaconatu.

De ipso Diaconatus ordine.
De Præceptis Decalogi.

De

De Præceptis Ecclesiæ.
De Justitia, & Jure.
De Restitutione.
De Contractibus in genere, & in specie.

De Presbyteratu.

De Ordine Presbyteratus.
De Sacramentis in genere.
De Sacramentis in specie.
De Virtutibus.
De Rubricis ad Missam pertinentibus.

Quoniam autem in hac Diœcesi, & Provincia cunctæ Regularium domus, vel Conventus, quia partim suspensi, partim penitus aboliti, deficiunt, in quibus Exercitia Spiritualia a Clericis ordinandis peragi possint, illorum vice Nostrum Venerabile Seminarium eis statuimus, ubi per decem dies commorantes, orationibus, & lectionibus Spiritualibus continuo vacare debent: silentium, & solitudinem servare, ut Dominus ad cor eorum loquatur; bis præfixo tempore Sacramentalem Communionem recipient, peccatorum Confessione præmissa, quod & tertia vice die ordinationis agant: commercium etiam cum Consanguineis, & Affinibus suis, tempore supradicto, sine necessitate, & Directoris licentia, nullum habeant: una cum Seminarii Alumnis in Mensa sedeant; eodemque modo, quo isti, comedant, & bibant, omnique singularitate

remota; atque pro victus præstatione carolenos quindecim Seminarii Procuratori solvant. Sit tandem Rectoris, cujus conscientiam in hoc omnimode oneramus, eos opportunis concionibus quotidianis in viam salutis dirigere, onera, quæ assument, præ oculis illorum ponere, & quomodo dispositi sint ad ordines recipiendos, sive in scriptis, sive voce, prout prudentia dictaverit, Nobis ad unguem pridie ordinationis referre.

Sed quum Ecclesiasticus quisque lucernas ardentes in manibus tenet, cum per bona opera sua Laicis exempla lucis monstrat, ideo & in incessu, gestu, & sermone nil nisi grave, moderatum, ac Religionis plenum nostri Ecclesiastici debent præ se ferre. Qua de re ipsi meminerint eorum, quæ Sacri Canones edixerunt de ipsorum cohabitatione cum mulieribus, etiam consanguinitatis, vel affinitatis gradu conjunctis, ac proinde eo magis ab eorum servitio arceant ancillas, vel juvenes, vel suspectas. Cauponis, & Tabernis, præterquam in itinere, se abstineant: publica spectacula scenica, histrionum jocos, choreas sive publicas, sive privatas constanter fugiant: personati, seu larvati numquam incedant, & alearum ludis, in quibus sors potissimum dominatur, omnino se abstineant, sub pœnis in Ecclesiasticis, & Regiis litteris comminatis: immo ne ludis etiam licitis in publicis officinis dent operam, pariter eis prohibemus. Mercimonia, negotiationes, conductiones alienorum prædiorum, & publicorum Datiorum, seu Vectigalium

exa-

exactiones, etiam per intermediam personam, in negotiationibus Laicorum ministros fieri, & in rebus illorum Procuratores existere, omnino eis prohibemus; pœnisque Sacrorum Canonum, si moniti non resipiscant, volumus puniri: armorum genera omnia sint Ecclesiasticis interdicta, & sic etiam venatio clamorosa; quieta autem cum debitis licentiis Ipsis permittitur, dummodo tempore Quadragesimæ, & aliis solemnioribus anni diebus non fiat. Nemo tandem in Foro Sæculari se examini subjiciat, Nostra, aut nostri Vicarii Generalis haud obtenta facultate. Denique cunctos in sortem Domini vocatos enixe hortamur, ut mores juxta suam dignitatem componant, & abjicientes omnia sæcularia desideria, sobrie, juste, & pie vivant, ut tamquam lucernæ super candelabrum positæ, omnibus, qui in domo Dei sunt, illucescant.

CAPUT X.

De Canonicis, & Dignitatibus.

QUo altior est personæ alicujus gradus, quo dignitas major, copiosioresque prærogativæ, eo sane purior debet esse vita, exemplariores mores, & scientia eminentior; ideo Canonici, & Dignitates, quæ Episcopi Senatum in unaquaque Cathedrali constituunt, debent suo pietatis, & scientiæ lumine, uti supra modium positi, cæteros illustrare, factique omnibus forma gregis ex animo,

virtute acquisitum gradum juxta Canonum sanctiones, ac suas leges, & instituta cohonestare tenentur.

In nostro Capitulo sex sunt Dignitates, videlicet Archidiaconus, Decanus, Cantor, Thesaurarius, Archipresbyter cum Pœnitentiaria annexa, & Primicerius; sunt autem Canonici duodeviginti, ex quibus quindecim cum Præbenda, reliqui tres sine ulla prorsus Præbenda. Hi in tres hebdomadas distributi, cum quatuor Parochis, duodecim Presbyteris Portionariis, seu Participantibus vocatis, aliisque Supranumerariis Choro, aliisque functionibus Ecclesiasticis inserviunt.

Ut Pastoralis Officii nostri partes impleamus, nonnulla, quæ ad ipsum Capitulum attinent, præscribenda, seu potius confirmanda esse duximus.

Quibus igitur diebus Choro, aliisque Divinis muneribus explendis Dignitates, Canonici, aliique Participantes, & Supranumerarii adesse tenentur, statuta hora, postquam horæ quadrans a dato Campanæ signo effluxerit, juxta horariam Tabellam in Sacristia existentem, Ecclesiam adventare debent, alias punctaturæ subjiciantur. Tabellam ipsam horariam, pro temporum diversitate compactam, nemo omnino audeat immutare; at si necessitas aliquando postulet, & urgens sit, pro ea vice tantum Chori Præfectus diversificare valeat, spatio non amplius, quam horæ quadrantis; nec spatium hoc excedere valeat, nisi obtenta prius Nostra, vel Nostri Generalis Vicarii licentia. Si autem Canonici, aliique Choro addicti proprio muneri velint satisface-

re,

re, & fructus, ac distributiones rite percipere, in Choro canere, ac divinas laudes recitare teneantur, quum non sufficiat eas submissa voce legere, aut percurrere: omnes sub punctaturæ pœna Choro, divinis officiis, aliisque functionibus, ad quas obligantur, intersint; hinc Punctatores in Domino hortamur, ut, dato jurejurando in nostris manibus de servanda fide in punctando, juxta justitiæ tramitem se gerant, & in libro adnotent. Si quando autem ipsi absint, hebdomadæ Præfecti conscientiam oneramus, ut in hoc sedula cura adhibeatur.

Quumque Canonicatus, & Dignitates Beneficia sint residentialia, nemo ex Civitate, ubi Choro inservit, discedere audeat sine Nostra, vel Nostri Generalis Vicarii licentia, excepto casu absentiæ intra Diœcesim, & non ultra paucos dies. Si autem ex legitima caussa Nobis exprimenda, & probanda, abesse debent a Diœcesi, non excedatur spatium trium mensium, & non temporibus Adventus, & Quadragesimæ. In discedentes absque Nostra licentia, vel majori, & longiori tempore absentes, juxta Tridentina Statuta procedatur.

Capitulum vero quum opus fuerit convocari, Procurator ejusdem ante omnia Episcopum de Capitulo habendo certiorem faciat, ut possit, si velit per seipsum illi præesse, dummodo non de re ad ipsum Episcopum pertinente agi debeat. Numquam Officiorum tempore convocetur, nec sine solito campanæ signo; immo semper saltem die antecedenti notificetur per schedulam in Sacristia ponen-

dam,

dam, ut notificatio sic peracta vim habeat legitimæ intimationis, excepto casu aliquo, qui dilationem non patitur. Congregatis sic omnibus, proponatur negotium per primam Dignitatem interessantem, cujus est convocare id, quod debet resolvi. Negotium vero pertractabitur in Capitulo absque contentionibus, sed quisque cum omni modestia, ac fraterna charitate proferat sententiam suam, reque discussa, per vota secreta resolvatur, remota passione quacumque, aut humano respectu, secundum propriam conscientiam, & majorem Ecclesiæ, aut mensæ Capitularis utilitatem; quodque majori parti visum fuerit, redigatur statim per Canonicum Secretarium in librum Actorum Capituli. Hæc tandem, quæ de Canonicis, & Dignitatibus præscripsimus, a Presbyteris Participantibus, & Supranumerariis etiam respective servari volumus. In Exequiis faciendis procedatur semper processionaliter, non confuse, ideft bini, & bini juxta cujusque præcedentiam. Servetur idem de Sacristia procedendo ad Chorum, & de Choro ad Sacristiam.

CAPUT XI.

De Disciplina Chori.

PAucis abhinc annis, ex quo tempore in hac nostra Cathedrali Ecclesia distributiones, quamvis tenues, fuerunt introductæ, choro solet deserviri singulis hebdomadis per Tertiariam, exceptis Domi-

mi-

minicis, & quibusdam per annum diebus, in quibus totum Capitulum assistit, prout videre est in præfatarum distributionum statuto.

Nobis maxime cordi est, quod horæ Canonicæ, omnesque divinorum Officiorum functiones assiduo cultu, & qua decet majestate, rite persolvantur; ideoque Dignitates, Canonicos, aliosque nostri chori servitio adscriptos in Domino hortamur, & commonemus, ut dicto servitio sint assidui, alias sine legitima causa absentes, præter districtam rationem, quam Supremo Judici erunt reddituri, rigorose punctentur, & sciant, Nos punctaturarum librum singulis hebdomadis esse inspecturos. At si quis tenuem punctaturam spernens, ne cura verit quidem per longum tempus Choro interesse, juxta Statutum Cap. XII. Sess. XXIV. Conc. Tridentini contra eum procedetur, ut Canonicatu privari possit.

Punctatores autem fideliter, & accurate munus suum exequantur, non solum eos punctando, qui choro non intersunt, sed etiam qui tempore debito non veniunt, aut a choro discedant, non finita functione, vel haud petita venia a chori Præfecto. Huic omnimodam vigilantiam commendamus, ut divina Officia pie, & religiose concelebrentur, nec cantu perturbato, vel celeri, & confuso, sed modulato, & distincto. Pausetur in asteriscis, nec nisi versu plene finito ex una parte Chori, alter incipiatur. Nemo, dum Missa Conventualis cantatur, horas Canonicas privatim persolvat; nemo stallo in-

innitatur cubandi more; crus supra crus teneat; aut alia similia committat, quæ & inurbanitatem, & irreverentiam sapiunt. Matutinum, & Laudes in Choro numquam Vespere diei præcedentis persolvantur, exceptis tantum tribus Majoris hebdomadæ diebus, ac solemnitate SS. Corporis Christi. Quo tempore divina Officia celebrantur, duo saltem cerei in Altari ardeant; in Missis vero, & Vesperis solemnibus sex omnino inibi accendantur. Missa Conventualis tota usque ad finem decantetur, qua finita, ac non prius alia incipiatur hora, quæ persolvi debet; immo in diebus ferialibus Quadragesimæ, si habenda sit concio, Vesperæ non persolvantur in Choro immediate post ipsam Missam Conventualem, sed finita concione, cui Tertiaria cum vestibus Choralibus assistet.

CAPUT XII.

De Missis Conventualibus.

Licet Missæ Sacrificium ad horas Canonicas proprie non pertineat, attamen inter divina Officia recensetur. Quare quum in Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis Divinum Officium quotidie peragatur, Missa Conventualis etiam, quæ pro benefactoribus in genere applicatur, quotidie cum cantu celebratur, sicut in hac nostra Cathedrali laudabiliter fieri compertum est. Rubricæ tamen generales, quarum exactissima custodia Nobis

com-

commendatur, præscribunt, ut certis anni diebus non una, sed duæ, atque etiam aliquando tres Missæ Conventuales uno die celebrentur. Quæ Rubricarum præscriptio quam gravis sit, erui facile potest, tum ex variis Decretis Sac. Rit. Congr. apud Meratum, tum ex Constitutione fel. rec. Benedicti XIV. quæ incipit: *Quum semper* ann. 1744. Ideo quum Nos in præfata Nostra Cathedrali has Rubricas haud servari cum animi nostri dolore videamus, volumus, & præcipimus, ut dictæ Rubricæ de pluribus Missis certis anni diebus a Capitulo cantandis, adamussim observentur. Et quum item Nobis comperta sit Canonicatuum, & distributionum tenuitas, liberam omnino hujus secundæ, & tertiæ Missæ Conventualis applicationem Celebrantibus relinquimus, dummodo in commemoratione, seu Memento pro defunctis, ut idem Benedictus monet, Ecclesiæ benefactorum in genere fiat memoria. Ad faciliorem itaque hujus nostri Statuti executionem Sacerdotes omnes Supranumerarios per turnum huic oneri subjectos esse volumus, & declaramus; qui hujusmodi secundam, vel tertiam Missam Conventualem applicare possent pro oneribus Missarum sibi a Procuratore Capituli solitis assignari, dummodo in secundo Memento Benefactorum Ecclesiæ in genere haud obliviscantur. In casu autem, quo non adsint in Capitulo Supranumerarii Sacerdotes, hoc onus subibunt duo ultimi Sacerdotes Participantes.

Et quoniam jam paucis abhinc annis Ecclesiæ, quo Processiones Litaniarum in Rogationibus per-

gere solebant, ratione terræmotus fuerint partim suppressæ, partim vero suspensæ, mandamus, ut Statio præfatarum Processionum fieri deinceps debeat Fer. II. in Ecclesia olim Monialium S. Claræ, quæ nunc est Parochialis SS. Venerandæ, & Anastasiæ. Fer. III. in Parochiali Ecclesia SS. Apostolorum Petri, & Pauli. Fer. IV. in Parochiali Ecclesia SS. Salvatoris, cujus inopiæ consulentes, volumus, ut expensæ occurrentes fiant a Rectore Ecclesiæ Beneficialis S. Catharinæ ad Nostram Mensam pertinentis, ad quam Ecclesiam Processio Rogationum, antequam esset diruta, dicta Fer. IV, procedere solebat. Quod exemplum sequentes, volumus, ut si qua de caussa Processio Litaniarum Majorum in die S. Marci ad Archipresbyteralem Ecclesiam extra muros, juxta consuetum, pergere non possit, statio fiat in præfata Parochiali Ecclesia SS. Apostolorum Petri, & Pauli, vel in Ecclesia S. Leonardi extra muros, si tempus permiserit, expensis tamen Ad. Rev. Archipresbyteri pro tempore existentis, qui saltem die præcedenti certior fieri debebit.

CAPUT XIII.

De Parochis, & Curatis.

PArochi, & Curati, qui jure proprio, sed sub Nostra Episcopali auctoritate regunt sibi demandatas Ecclesias, tenentur profecto oves suas agno-

agnoscere; pro his Sacrificium offerre; verbi Dei prædicatione, Sacramentorum administratione, & bonorum operum exemplo pascere, ut ajunt Tridentini Patres Sess. XXIII. de Ref. Cap. I. idque per se, aut per alios idoneos, si fuerint legitime impediti. Hinc sciant, ad residentiam teneri, juxta præscriptum citati Tridentini, quam residentiam intelligant nedum materialem esse, sed formalem, & cum effectu, ut ipsi per se Subditis etiam infirmis Sacramenta ministrent, nisi legitime præpediantur: quo casu Œconomo a Nobis approbato uti poterunt, qui certe eis conceditur non in commodum, sed tantum in adjutorium. Idcirco a loco suæ residentiæ non discedant, ad breve tempus etiam dierum trium, absque nostra licentia, & deputatione alicujus Confessarii ad onera interim sustinenda. In singulis Dominicis, & Festis, præter Missæ celebrationem, & applicationem pro Populo suæ curæ commisso, ad formam Constitutionis Benedicti XIV. tenentur etiam Parochi ad alia illa munera exequenda, quæ in Cap. II. & III. hujus Synodi sancita sunt.

Et quia ad hæc usque tempora baptizatorum, & mortuorum libri a Parochis nostræ Civitatis confecti penes Sacristam Cathedralis Ecclesiæ, ubi solus Fons baptismalis existit, servantur: & sæpe compertum est, multos baptismate ablutos, vel in universam viam carnis ingressos, adscriptos non esse in ipsis, nos huic tam damnoso defectui occurrentes, mandamus, pro qualibet Parœcia duos

Baptizatorum, duosque mortuorum libros confici; a Sacrista alterum, alterum a Parochis ipsis. Mensibus autem Martii, & Septembris cujusque anni Parochi iidem prædictos libros in nostro Archivio deponant, sicque observent in confirmatorum libris, ex quibus, & ex aliis depositis, nemo nostræ Curiæ addictus fidem aliquam, sub pœna nullitatis, exarare audeat, ut cui jus est, tribuatur, & in eo firmum remaneat.

Quoniam autem magna oriri vidimus scandala ex commercio, quod inter se habere solent Sponsus, & Sponsa de futuro; propter quod aut Sponsalia hæc non efficiantur de præsenti, vel efficiantur licet sæpius post multa peccata. Idcirco magnam adhibeant Parochi curam, & quam maximam diligentiam, ne ullum quodvis commercium sit inter Sponsum, & Sponsam de futuro, juxta statuta Sacr. Canonum, & Regii Diplomatis emanati ann. 1779. Atque tempore matrimonii de præsenti post consuetam Fidem denuntiationum, aliam juratam ipsi exarent, si nullum inter illos vetitum hoc commercium interfuerit. Qui venerint contra hæc, sive Parochi ex negligentia, sive Contrahentes ex malitia, pœnas in dictis Legibus comminatas omnino luere sciant.

Ut demum avaritiæ nota haud inurantur Parochi, tariffam Parochialium jurium Regia auctoritate recenter promulgatam, & a Nobis in Nostro Edicto positam, omnino servent; & quicquid ex Parochialibus redditibus eorum congruam, hone-

stam-

ſtamque ſuſtentationem excedit, Ecclesiæ suæ, & pauperibus erogare non omittant.

Omnes denique Parochis subjectos in Domino hortamur, ut eos summo honore habeant, & tamquam Dei miniſtros colant; ipsi enim pervigilant rationem pro eorum animabus reddituri.

CAPUT XIV.

De Monte Frumentario.

MUltum noſtra intereſt, Montem frumentarium a Prædecessoribus noſtris Fr. Joanne Lopez erectum, & a Domino Anselmo Penna reſtauratum, unicum hisce temporibus pauperum Colonorum levamen, recte gubernari, & quantum fas erit, augeri. Mandamus idcirco, ejusdem Rectorem ad noſtrum arbitrium, pro tota massa frumenti opportunam cautionem dare debere, nec illud diſtribuere, nisi noſtra licentia in scriptis præmissa, & ejus clausulis omnibus servatis ad unguem. A Præcone mense Octobris indicta Populo die diſtributionis, ante eam, ad calumnias, malasque vociferationes repellendas, quot modios tota massa in horreo exiſtens contineat, mensura relevetur coram Rectore, & duobus annuis noſtris Deputatis, quibus etiam præsentibus, fiat diſtributio ipsa semper majores minoribus indigentibus Colonis præferendo. Pro securitate frumenti præſtiti pignora recipiantur, quæ pro tertia parte illius valorem excedant; &

quæ

quæ si in venditione debitum minime æquent, de proprio quidcquid deficiat, solvat Rector ipse: sed si Colono pignus non sit, hujus vice Ecclesiasticæ tantum personæ nostræ Diœcesis ad solvendum idoneæ chyrographus exibeatur. Et sic distributione peracta, Rector idem nobis totum frumentum datum, cuinam, quantum, & quibus cautionibus, nominatim sequenti Mense in scriptis referat.

Collecta autem sequentis anni messe, debitoribus Montis ter publice, per Præconem quoque, Rector indicet restitutionis tempus, quod non excedat diem medium Mensis Augusti. Restituentibus ante præfixum diem receptos modios frumenti puri, reddatur & pignus, seu chyrographus cautionis: verum quoniam nulli sunt fundi huic monti, nulla prædia addicta, & redditus nulli ad necessaria onera sustinenda, pro quolibet modio recepto, uti mos est, & lex, solvat amplius debitor mensuram unam, vigesimam quartam partem scilicet modii supradicti: sat enim erit ei frumentum reddere pro frumento, quod receptionis tempore trientem valebat plus restituto. Morosis tandem, elapso die decimo quinto Augusti, ultima fiat personaliter citatio post biduum, a qua deveniatur ad pignorum venditionem sub hasta, consueto juris ordine servato; ex quorum pretio emptis modiis, & mensuris debitis Monti, quod superest, Domino servetur: vel si vice pignoris chyrographus exiftit, actio instituatur in debitorem in foro competenti.

CA-

CAPUT XV.

De Clericorum Seminario.

ORigo Seminariorum perantiqua, ut præ aliis docet Thomassinus de vet. & nov. Ecclesiæ disciplina: sed iis post annum millesimum plene obliteratis, Episcoporum aliqui salubre hoc institutum pro viribus excitare conati sunt, donec in Tridentina Sess. XXIII. de Ref. cap. XVIII. diligenter examinatum, & approbatam fuerit, & a S. Carolo Borromæo feliciter invectum.

Sed quum in nostro Seminario undecim commorentur Alumni; novem scilicet ex Civitate hac Crotonen, duoque ex parva Papanicephori Terra ad Nostram Diœcesim pertinente, reliqui omnes Convictorum more educantur. Mandamus idcirco, ut qui deinceps ad primam Tonsuram, & minores ordines assumantur, per triennium juxta Concordatum inter Romanum Pontificem Benedictum XIV. & Carolum III. jam Regem Nostrum, postea Hispaniarum, initum, in hoc nostro Seminario, nisi alia in contrarium suaserit causa, optima sub scientiarum, atque virtutum educatione, commoratos, sive ut Alumnos, sive ut Convictores, oporteat fuisse. In eo vero, cæteris exclusis, ii dumtaxat tum in Alumnorum, tum in Convictorum numerum admittantur, qui ex legitimis nuptiis sint progeniti, quosque post diligens examen a Rectore, & Canonicis deputatis faciendum, compertum fuerit bonis esse moribus, sanitate illa pollentes, ut ne ul-

lum

lum quidem infirmitatis signum, vel suspicionem ferant, honestaque indole præditos, ac insuper certum dare specimen, eos in litterarum studio profecturos, & ad Majores Ordines fore ascensuros. Immo pro eis, qui inter Alumnos adsciscuntur, id erit quoque attendendum, ut infra ætatem decem annorum non sint, nec sexdecim fuerint egressi: & cupientes, ne fructus tam sanctissimi operis, ut assolet, frustretur, decernimus, ut qui in posterum Alumni admittantur, non adeo sint pauperes, qui Patrimonio, quo valeant ad Sacros Ordines promoveri, prorsus destituantur.

Quumque ad tria præcipua capita redigantur, quæ pro Seminariis eadem Trid. Synodus constituit, ad pietatem scilicet, exercitationes, & studia; volumus, ut tam Rector, & Deputati supradicti, quam Magistri, & Præfecti ad ea sedulo invigilent, de quibus eorum oneramus conscientiam. Nos interim sæpius præfatum Seminarium invisemus. Nobisque coram, aliisque nostris Synodalibus Examinatoribus specialiter vocatis, unoquoque bimestri examen illorum audiemus, ut quem fructum in litteris Alumni, & Convictores perceperint, dignoscamus.

Pro Confessionibus autem Alumnorum, & Convictorum duos Ordinarios Confessarios assignamus; quibus bis in mense, & in præcipuis anni festivitatibus peccata sua confiteantur, facta tamen eisdem quater in singulos annos permissione cum aliquo extraordinario Confessario se confitendi, petita prius, & obtenta ab actuali Rectore venia.

Et

Et quia pretium victualium omnis generis a multis annis in duplo majus excrevit, ne Seminarium annuatim succumbendo claudi debeat, (exceptis consuetis feriis) ſtatuimus, ut singuli Convictores Cives, & Dioecesani triginta annuos ducatos, exteri autem quadraginta pro eorum victu omnino persolvere debeant, solutionem anticipando singulis semeſtribus. Et ita servari mandamus.

C A P U T XVI.

De Foro Episcopali.

JUbente Deo, Populum suum in juſtitia, & pauperes suos in judicio judicari (Psal. 71.) mandamus singulis Noſtræ Episcopalis Curiæ Miniſtris, ut turpis lucri sint omnino expertes; erga egenos charitate flagrantes; erga potentes recti tenaces; & conſtanti, ac perpetua voluntate unicuique jus suum sint tribuentes. Quam cito procedi volumus in causis omnibus, quæ de Jure Canonico, & secundum Concordatum, atque Regni noſtri politiam ad Nos pertinere dignoscuntur. In spiritualibus causis pro Decretis, aliisque scripturis conficiendis sportulæ exigantur, secundum noſtrum Edictum sub die prima Mensis Martii currentis anni emanatum, juxta Regale Diploma per Miniſtrum Regalis Jurisdictionis. In caussis vero Civilibus, Criminalibus, & Mixtis taxa servetur M. Curiæ Vicariæ. Mandamus insuper, ut intra Mensem ab hac die omnino conficiatur, si non adeſt, Inventarium Scripturarum omnium Noſtri Archivii, cujus fiant exemplaria duo; quorum alterum penes Nos; alterum penes Noſtrum Generalem Vicarium serve-

 tur;

tur; ut in fine sui regiminis Scripturas ipsas cum Inventario conferens, Inventarium illud tradat, cui Nobis postea visum fuerit. Scripturæ autem præfatæ, ne subtrahantur, vel vitientur, ejusdem Nostri Generalis Vicarii sit cura, qui vacantis Ecclesiæ tempore, eas Vicario Capitulari, vel ipso nondum electo, Archidiacono Capituli consignet. Interim omnibus, etiam Laicis, penes quos, quocumque casu, titulo, aut prætextu originales Scripturæ a Nostro Archivio sublatæ, existant, mandamus, infra mensem a præsenti die eas in Nostris, vel Nostri Generalis Vicarii manibus restituere, ad quod etiam ex conscientia tenentur; & ad omne damnum pro eis veniens; quo mense elapso, ex nunc pro omni futuro tempore declaramus, scripturas supradictas extra Archivium existentes, illa validitate, robore, firmamento, ac fide publica permanere, quæ a Canonistis super Capit. *ad Audientiam* XIII. de Præscript. & a Doctoribus in Auth. *ad hæc de iis Cod. de fide Instrumentorum*, aliisque Regni Nostri Pragmaticis habere solent de similibus suspectis Scripturis, ex tuto loco absentibus.

In causis insuper spiritualibus, diebus tantum festivis, nisi necessitas urgeat, aliisque in causis, etiam Feriarum diebus, sileat Curia. Feriarum autem tempora sint a Vigilia Nativitatis Domini nostri Iesu Christi ad Epiphaniam usque inclusive; a Sabbato Palmarum ad Dominicam in Albis; a Vigilia Pentecostes ad Dominicam SS. Trinitatis; & a prima die Octobris ad quartam usque Novembris.

Curia eadem binis oculis in requisitis Ordinan-

nandorum vigilet, & in constitutione Patrimonii Sacri, cujus medietatem saltem habeat qnisque Tonsurandus, juxta cap. IV. Concordati, quo tempore, sicut & illo Hypodiaconatus, atque Presbyteratus non omittat bona patrimonialia ordinandi publico Edicto tam in Cathedrali, quam Parochiali Ecclesia, per quindecim saltem dies, omnibus palam facere; ne in posterum super bona aere alieno gravata, vel aliis vitiis affecta Patrimonia constituta ruinam ferant, & Ordinato, & Constituenti.

Postremo declaramus, sanctiones omnes, quæ pro observatione horum Synodalium Decretorum appositæ sunt, non aliter quam servatis servandis, & juxta Regni politiam executioni mandari debere.

Donet Dominus, (sunt verba Augustini in fine Regulæ Cler.) ut hæc omnia observetis, tamquam virtutis amatores de bono Christi odore, ac sancta conversatione flagrantes, non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. Ut autem in hoc libello, tamquam in speculo, possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatur, quisque apud se habeat, ac sæpe a Vobis legatur: qui autem viderit, sibi deesse aliquid, doleat de præterito, caveatque de futuro.

Fr. Ludovicus Episcopus Crotonensis.

Domini Dignitates, Canonici, Archipresbyteri, Parochi, cæterique de Clero, placentne Vobis decreta, quæ hactenus ordinata, & constituta sunt?

Responderunt omnes: Placent.

Benedictus Can. Siniscalco Synodi Secretarius.

ROGITUS ACTORUM.

IN Dei nomine. Amen. Præsenti publico Instrumento cunctis pateat evidenter, & notum sit, qualiter anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi millesimo septingentesimo nonagesimo quinto, Indictione XIII. Die vero vigesima mensis Decembris, Dominica IV. Adventus, sub Pontificatu Sanctissimi in Christo Patris Pii Divina Providentia Papæ VI. Regnante Serenissimo, Invictissimo, & Potentissimo Domino nostro Ferdinando IV. Dei gratia utriusque Siciliæ, & Hierusalem Rege &c. Crotone in Episcopali Ecclesia, præsidente Illm̃o, ac Rm̃o Fr: Ludovico de Ludovico Ordinis Observantium S. Francisci, Lectore Iubilato, & Episcopo Crotonensi, ac præsente Rm̃o Capitulo, & Canonicis ejusdem Ecclesiæ; universoque Clero tam Civitatis, quam Diœcesis ibidem ad Synodum Diœcesanam celebrandam per Edictum vocatis, ac legitime congregatis, post cantatam solemniter Missam, aliasque preces, ac Sacras cæremonias persolutas, prout in Pontificali Romano, habita fuit in unica sessione Diœcesana Synodus, in qua suprascriptæ constitutiones, instante Ad. Rev. D. Michaele Archidiacono Labonia ejusdem Synodi Promotore, per Ad. Rev. D. Benedictum Canonicum Siniscalco Synodi Secretarium ex majori Suggestu alta, & intelligibili voce perlectæ, ac publicatæ fuerunt, ac ab universis de Capitulo, & Clero, ac etiam universæ Civitatis concursu lætanter, & summa attentione perceptæ. Quibus auditis, idem Illm̃us, & Rm̃us Dominus Episcopus

alta,

alta, & intelligibili voce requisivit omnes, & singulos per hæc verba: *Placent ne vobis?* & nemine discrepante, responderunt: *Placent*. Poſt hæc fuerunt Deo gratiæ actæ, persolutæque præces, & cæremoniæ in similibus consuetæ, ac lecto dimissionis Decreto, & præſtita ipso Illmo, ac Rmo Domino Episcopo obedientia, & per eum facta benedictione, cuncti recesserunt laudantes zelum, vigilantiam, & prudentiam præſtantissimi Præsulis, ob latas tam Sanctas Leges, & suavissima Statuta. Super quibus, inſtante præfato Domino Archidiacono Synodi Promotore, petitum fuit, ut ego tamquam publicus, & hujus Synodi Regia auctoritate Notarius, unum, vel plura, publicum, vel publica conficere deberem Inſtrumentum, seu Inſtrumenta, prout opus fuerit, & fuero rogatus.

Acta sunt hæc ibidem, Anno, Indictione, mense, & die quibus supra, & Præsulatus præfati Illmi, ac Rmi Domini Episcopi anno quarto. Præsentibus, atque audientibus Domino Regio Auditore Regii Caſtri Crotonen D. Horatio Montalcini, Domino D. Hannibale Montalcini, Domino D. Balthassare Zurlo, aliisque pluribus teſtibus ad prædicta omnia, & singula vocatis, habitis, atque rogatis. In quorum omnium fidem teſtimonium, Ego Raphael Labonia Crotonen publicus per hoc totum Regnum, & hujus Synodi Regia auctoritate Notarius, de prædictis rogatus, publicum hoc Intrumentum confeci, scripsi, subscripsi, publicavi, meoque solito signo Signavi. Laus Deo.

F I N I S.

Rev.

Rev. Dominus D. Cajetanus Parochus Giannattasio S. Th. Professor revideat, & in scriptis referat. Die 11. *Februarii* 1796.

JOSEPH ARCHIEP. NICOSIENSIS C. D.

Eminentissimo Signore.

I decreti del Sinodo ec. che io per ubbidire a' venerati ordini di Vostra Eminenza ho letto, poichè mi sembrano pieni di Santa unzione, stimo possono darsi alle stampe, quali mezzi per mantenere sempre in piedi la disciplina Ecclesiastica, e ricordare agli Ministri del Santuario il loro pur troppo indispensabile dovere; se pure però diversamente non piacerà all' Eminenza Vostra, mentre passo ad inalterabilmente raffermarmi.

Di V. E.

Napoli 4. Aprile 1796.

Umilis. Div. Oss. S. V.
Gaetano Parroco Giannattasio.

Attenta relatione Domini Revisoris imprimatur. Die 9. *Aprilis* 1796.

JOSEPH ARCHIEP. NICOSIENSIS C. D.

U. J. D.

U. J. D. D. Paschalis Franzè in hac Regia Studiorum Universitate Professor revideat autographum enunciati operis, cui se subscribat ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium Ordinum, & in scriptis referat, potissimum si quidquam in eo occurrat, quod Regiis juribus, bonisque moribus adversetur, & si merito typis mandari possit. Ac pro executione Regalium Ordinum idem Revisor cum sua relatione ad nos directe transmittat etiam autographum ad finem &c. Datum Neapoli die XXIV. *mensis Februarj* 1796.

F. Alb. Archiep. Colossen C. M.

De M. V. jussu legi Autographum, cui titulus: *Decreta Synodi Crotonen celebratæ in Cathedrali Ecclesia ejusdem Civitatis, sub die* XX. *mensis Decembris anni* 1796. In lectione ea, qua potui, adhibita diligentia, nil mihi occurrit, quod M. Tuae Regalibus adversetur, vel bonis moribus non sit consonum; quinimmo (pro rei veritate) omnia observavi Sacris Canonibus, Ecclesiae disciplinae, ac hujus Regni Politiae conformia. Utinam in omnibus celebrandis Dioecesanis Synodis haec forma servaretur; ita Ecclesiae Statuta, & disciplina sarcta tecta manerent, & simul fieret, ut corrupti mores in pristinum reducerentur, & Sacerdotium ipsum, & Imperium vera concordia manerent. Hinc puto, si M. Tuae oraculum accesserit, ut typis daretur. Datum Neapoli XIV. Kal. Aprilis 1796.

Addictissimus Cliens
Paschalis Franzè.

Die

Die 18. mensis Aprilis 1796. Neap.

Viso Regali Rescripto S. R. M. sub die 16. currentis mensis, & anni, ac Relatione U. J. D. D. Paschalis Franzè de commissione Rev. Regii Cappellani Majoris, ordine præfatæ Regalis Majestatis &c.

Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma præsentis Supplicis libelli, ac approbationis dicti Revisoris. Verum non publicetur, nisi per ipsum Revisorem facta iterum revisione affirmetur, quod concordat servata forma Regalium Ordinum, ac etiam in publicatione servetur Regia Pragmatica, hoc suum &c.

TARGIANI VOLLARO

V. A. R. C.

Ill. Marchio Mazzocchi Pr. S. C.
& cæteri Spect. Aularum Præf.
temp. subs. impediti.

Linguiti



